

Arabibus Alidata, Græcis dioptra dicta, habens in extremitatibus duas pinnulas perforatas, per quas astrorum altitudines & declinationes capiuntur.

Postremò clauus est, qui & axis dicitur, foramen Astrolabij penetrans, omnes partes simul connectens. Foramen ipsum stabulum à nonnullis dicitur. Et hæc de partibus Astrolabij Anatomica resolutio sufficiat.

## DE VSV ASTROLABII ASTRONOMICI, Capitulum I I.

### PROPOSITIO I.

*Verum Solis locum in Zodiaco inquirere.*

In dorso Astrolabij, uti superius dictum fuit; descripti sunt dies mensium cum gradibus Zodiaci correspondentibus, in quibus moratur sol diebus singulis. Quod si igitur nunc locū solis, hoc est, gradum Zodiaci, in quo existit sol, ad certū diem inuestigare velis, moue lineā seu Regulam supra diem propositum, & directè in margine ostendet tibi signum & gradum signi in quo tunc existit sol in Zodiaco. Vt si quis v. g. ad diem 20. Iulij scire velit, in quo gradu Zodiaci reperiatur sol? posita linea fiduciæ supra diem prædictum, inueniet 27. gradum Cancrī. Sic vice versa ex gradu solis cognito sciri potest dies cuiusque mensis. Sed nota in anno bissextili post diem S. Matthiæ gradum solis inuentum semper diei antecedenti esse ascribendum.

Eundem gradum solis, quemadmodum etiam ingressum eiusdem in 12. signa coelestia memoriter inuestigare docet Clauus per lequentia duo carmina, quæ 12. dictionibus constant, 12. mensibus anni respondentibus.

*Incluta laus iustis impenditur, haeresis horret.*

*Garrula: grex gratus faustos gratatur honores.*

**Horum**